

de Lys. or. XX, Stutzer Herm. XIV 500, XVI 88. Praeterea cf. Siegfried, de multa quae ἐπιβολή dicitur 37, Pabst, de orationis ὑπὲρ τοῦ στρατιώτου causa etc. Stendalis 1890 (qui quod § 6 nisus p. 46 adsentiente Lipsio Att. Recht 299 orationem anno 333/2 tribuit, a vero abhorrere videtur cf. Berl. Phil. Wochenschr. 1908, 306), Keller, Die Rechtsfrage in Lysias' 9. Rede, Nürnberg 1894.

Or. X. Theomnestum, cum dicere apud populum ausus esset, Lysitheus in ius vocaverat, quippe qui licere illi negaret, quod in proelio scutum abiecisset, eiusque rei testes Dionysium et eum hominem produxerat, qui orationem nostram habuit. In iudicio vero absolutus Theomnestus Dionysium falsi testimonii reum factum damnavit. Atque cum in priore iudicio eum, pro quo haec oratio scripta est, auctorem fuisse contendisset, cur pater a trigintaviris occideretur, is rursus Theomnestum de iniuriis postulavit. Causa acta est anno 384 (§ 4). Orationem num Lysias conscripsisset, Harpocratio dubitabat s. ἀπίλλειν, ἀπόρρητα, πεφασμένης, ποδοκάκκη. Nostrates Lysia dignam esse iudicant exceptis C. Herrmanno, (zur Echtheitsfrage von Lysias' X. Rede, Hannover 1878) et I. Brunsio (Lit. Portrait der Griechen 460), qui exercitationis causa confectam esse censent.

Or. XI. Orationis quae antecedit breviarium esse iam Scalliger animadvertit. Quod quando et a quo et quo consilio scriptum sit, dubitatur; Lysiae non esse apparet. Quomodo is qui scripsit rem gesserit, exponunt Albrecht, de Lys. or. XX, 1 et Herrmann l. l. 17.

Or. XII. Dum Lysias ipse fuga salutem petit, Polemarchus frater sub trigintavirorum imperio ab Eratosthene in via publica comprehensus et in vincula coniectus veneno occisus est. Libertate recuperata, cum trigintaviri Eleusina cessissent, Lysias Eratosthenem, qui cum Phidone in urbe remanserat, reum fecit. Atque qua actione usus esset, diu dubium erat, cum alteri caedis incusavisse (Frohberger, Gebauer), alteri in rationibus reddendis contra eum extitisse existimarent (Meier, de bon. damn. 188, Meier-Lipsius, Att. Proz.<sup>2</sup> 257, Blass, Att. Ber. I<sup>2</sup> 541). Hanc rationem veram esse